

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei
Illustri Regi Russie
Salutem et apostolicam Benedictionem
Rex Russie, eiusque subditi Catholicam fidem amplexi

Cum is, qui secundum sue omnipotentiam ma-
iestatis nec loco potest, nec tempore comprehen-
di, utpote constitutus incircumscriptibilis, et im-
mensus, stabilis manens dat cuncta moveri, fo-
ciat spiritus suos angelos, et ministros, celorum,
que altitudine inclinata, carnem assumens hu-
manam, pro eo quod Delicie sue sunt esse cum
filiis hominum, discipulos, quos elegerat, in
mundum destinaverit universum, ut omni-
predicarent evangelium creature, suo nos in-
struxit exemplo, ut eius sequentes vestigia, cum

assumpti simus in plenitudinem potestatis, nec per
nos ipsos possimus singulis negotiis imminere, inter
eos, quos in partem sollicitudinis evocavimus, opera,
quasi Petro usi consilio, dividamus, unicuique se-
cundum virtutem propriam, que variis tempori-
bus imminent, committendo. Sane cum in par-
tibus Regni tui mores, et ritus grecorum, qui
superstitiose, ac dampnabiliter ab unitate
ecclesiastica receperunt, fuerint hactenus, non
sine animarum periculis observati, et nuper
gratia favente divina, illuminato fuerint
corda vestra, ut recognoscentes Romanam
Ecclesiam matrem aliarum omnium, et ma-
gistram, ac Summum Pontificem successorem
Petri, cui collate sunt claves Regni celestis
ligandi, et solvendi, et Jesu Christi vicarium

esse capud, quia cum unus sit Dominus, una fi-
 des, unum baptisma, unum principium, unum
 corpus Ecclesie militantis, corpus cum pluribus
 capitibus monstruosum, et sine capite acepha-
 lum censeretur, ad devotionem et obedientiam
 apostolice Sedis, et nostram redire, sicut acce-
 primus affectetis, nos ei assurgentes in laudem,
 qui oculos Tobie per collirium ex felle piscis
 illuminare dignatus est, et aperire oculos cec-
 nati, ac exultantes cum muliere, que iuxta
 veritatem evangelicam, Dragmam, que perie-
 rat, reinvenerat, venerabilem fratrem nostrum
 Archiepiscopum Prusie, et Estonie apostolice
 Sedis Legatum, virum utique secundum cor
 nostrum, morum honestate decorum, littera-
 rum scientia preeditum, et consilii maturitate

preclarum, qui vobis verba vite deferet, et
nostram, et fratrum nostrorum plenius vo-
luntatem exponet, ad partes ipsas, commisso
sibi in eisdem partibus plene legationis offi-
cio, duximus destinandum, concessa ei libera
potestate, ut evellat, et destruat, dissipet, et
disperdat, edificet, et plantet, prout secun-
dam Deum viderit expedire. Quocirca
Serenitatem Regiam rogamus, monemus,
et hortamur attente, mandantes quatenus
eidem Legato super hiis, et contra Tartaros
impendas sibi consilium, auxilium, et favo-
rem, quod exinde apud Deum meritum, et
apud homines tibi comparas nomen bonum,
nosque Serenitatem Regiam dignis valea-
mus in Domino laudibus commendare.

45

Datum Lugduni, v. Nonas Maii Anno III.

Marinus ex Comitibus Marini

Eques Imperialis Ordinis Sanctae Annae Secundae Classis
Sacrae Equestris Militiae S. Mauritii et Lazari Commendator
Praelatus Domesticus Gregorii PP. XVI. In utraque Signatura Referendarius
Patriarchalis Basilicae S. Petri in Vaticano Canonicus
Tabulariorum Sanctae Romanae Ecclesiae Praefectus

Testor, ac fidem facio praedictas Literas descriptas et recogni-
tas fuisse ex autographo Regesto f. r. Innocentii PP. IV. an. III.
epist. 476., quod adservatur in Tabulariis Secretisribus Vaticanis.

In quorum fidem hic me subscripsi, et solito signo signavi.

Dabam in Tabulariis praefatis III. Idus Maii MDCCCXXXVII. Indi-
ctione X., Pontificatus vero S. M. in Christo Patris, et Dni Nri,
Dni Gregorii div. prov. PP. XVI. Anno VII.



M. Marini
Tabular. S. R. E. Praefectus



us - et Dr
mo VII.



J. A. E. P. P. P.

Reverendissimi Patris ...

Memoria ex Comitibus ...

Actum in ...
 In ...
 die ...
 anno ...
 MDCCLXXXVIII

Actum in ...
 die ...



